

istam in die iudicij agniturum se, ac remuneraturū pollicitus est. Matth. 25. Quòd autē etiam Deus captiuorum misereatur, & quot genera sint captiuorum, supra Psalmo 68. versu 6. dictum est.

12. *Et redde vicinis nostris septuplum in sinum eorum, opprobrium ipsorum, quod exprobrauerunt tibi Domine.*

EXPLA-  
NATIO:

Videmus Prophetam hęc duo versare ac reuoluere, nempe blasphemiam diuini nominis, & calamitatem populi ac sanctorum Dei. vnde facile apparet, quo erga illa fuerit affectu. Sic postquam auxilium & liberationem orando calamitatis populi & glorię diuini nominis meminit, ad imprecandum hostibus vltionem, vt versu septimo cœperat, reuersus, eadem ipsa repetit, *probrum videlicet, quo gloriam diuini nominis gentes impię afficiebant, & sanguinem sanctorum, gemitumq; compeditorum, ac morti destinatorum.* Et quia ob eam potissimum causam hostibus succensebat, quòd ignominiam nomini Dei inurebant, ideo huius iterum hoc versu meminit, dicens: *Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum, opprobrium ipsorum, quod exprobrauerunt tibi Domine.*

*Et redde,* inquit. ] *Reddendi* verbo significat se meritam illis imprecari vltionem. Meritò namq; recipit in alium impius, quo ipse primus erga Deum & homines est vsus.

*Vicinis nostris.* ] Etiam hoc facit ad meritę vltionis augmentū, quòd cū vicini essent, deberentq; iure non solūm humanitatis, sed & vicinitatis adflctorum cōmisereri, ad probra cōtra Deum sunt versi. Magis vrunt, quę à vicinis & notis, quàm quę ab ignotis & his qui procul habitant, accidūt.

*Septuplum.* ] Id est abundē. Sic Genes. 4: Qui occiderit Cain, septuplum punietur. Et Daniel. 3: Rex præcepit, vt succenderetur fornax septuplum. Et Leuit. 26: Addam plagas vestras in septuplum propter peccata vestra.

*In sinum eorum.* ] Metaphorica locutio. *In sinum dare,* vel *accipere,* est copiosē ac largiter dare, vel accipere: sicuti dari solent, quę non ad numerum præcisē, vel ad mensuram, sed pro sinus capacitate largiter dantur. Sic Lucę 6. Date, & dabitur vobis. Mensuram bonam, & confertam, & concussam atq; exundantem, dabunt in sinum vestrum.

*Opprobrium ipsorum, quod exprobrauerunt.* ] Quid orat illis reddi septuplum in sinum ipsorum? Hoc nimirū, quod ipsi priores contra Deum effuderant, *probrum* scilicet. Vt reddantur omnium contemptissimi. Vtinam hunc Prophetę zelum pro vltiscenda gloria Dei imitentur hodie Christi fideles, contra eos qui diuini nominis gloriam ignominia afficiunt, quicunq; tandem illi sint.

12. *Nos autem populus tuus, & oues pascui tui, celebrabimus te in seculum, in generatione & generatione narrabimus laudem tuam.*

Subijcitur pro Psalmsi conclusione votum animi grati, & beneficium agnoscentis. Pollicetur Propheta pro sua & sanctorum Dei pietate perpetuam gratitudinem & *δοξολογίαν*. Significat autē simul populo Israēli, & quotquot nomini populi Dei censentur, quid Deo debeant, inò quid solūm illi rependere possint.

Sacrificium autem hoc diuinę laudis, Deo quidem debetur ab omnibus, debeturq; in sempiternum à generatione in generationē: verūm à solis pijs ac sanctis Dei & verē vouetur, & bona cum fide constanter præstatur. Hos intelligit, cū dicit: *Nos autem populus tuus, & oues pascui tui.* Nam hi demum verē sunt populus summi regis, & cœlestium pascuorum oues. Habent quidem intra se immixtos alienos & hœdos: at illi sic non sunt de populo & ouibus Dei, sicut zizania in agro nō sunt de semine, nec tubera in corpore de veris membris corporis. Proinde illi vt non sunt participes spiritus Dei, ita non sunt ex illis qui vota hęc diuinę laudis vera cum pietate constanter & in sempiternum faciant ac præstent, quicquid per hypocrisim foris coram hominibus simulent.

## PSALMVS LXXX.

AD PRAECINENDVM PRO LILIIS TESTIMONIUM ASAPH, PSALMVS.

ARGVMENTVM PSALMI.

**E**thic Psalmus pro restitutione populi Dei ab impijs hostibus miserē pressi ac vastati ad Deum orat, eiusdem argumenti cum eo qui pressit. Immiscet autem Propheta beneficia Dei olim Israēli præstita; deinde & querimonias de populi huius vastatione inserit, & in calce constantem fidem & inuocationem pollicetur.

VERS. I.



*VI pascis Israēl ausculta, qui deducis velut ouem Ioseph, qui sedes super Cherubim affulge.*

2. *Ante Ephraim, Benjamin & Manasse, excita potentiam tuam & veni, vt saluos nos facias.*

3. *Deus conuerte nos, & illustra faciem tuam, & salui erimus.*

LECTIO.  
Vers. 1.

Qui pascis. ] Ebr. *נָשָׂא*. Vulgata Latina: Qui regis. Græc. *ὁ ποιμαίνων*: id est, Qui pascis. Sic & Hieronymus & reliqui.

EXPLA-  
NATIO.  
Vers. 1.

Precatione ad Deum Psalmum orditur. Orat autem primū, vt ausculet: hoc est, vt placatis auri bus precationem adflctorum benignas admittat. Nec immeritò hoc initio orationis petit. Nisi enim hoc sit, frustrā instituetur, qualiscunq; & quorumcunq; oratio.

Solent